



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

77. Cocincinae Reg. à Batauis ad se reducunt Lusitani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

quatuor, alios totidem ministeriis diu piis tritos quæ fas erat illis com-
 mittere. P. Andrea Fernandez pensum Iapones Faifi incolas restitue-
 re pristinae pietati, seu veriùs dixerim Christianismo in ipsis propo-
 sitionum extincto. Erat Fernandez vir indomiti laboris, & Apostolici
 spiritus; magno diu animorum fructu in Iaponia versatus, & gentis
 ingenium ac linguam probè callens: huic erat Socius F. Niscius Ro-
 manus, natione Iapo, difficillimarum missionum, & ipse sudoribus
 decorus. Ab his denique compertum Eaisenses Iaponios etsi pro in-
 nata vafritie intra se miseri sese inuoluerent, reipla tamen, Sacerdo-
 tum, & Christianæ culturæ penuria, degenerasse prope in ethnicos;
 in tanta illorum frequentia, qui vna essent vxore contenti duos solùm
 inuentos; damnato fœnore passim quæstum facere solitos, quodque
 præ omnibus occultabant, tormentorum metu, & lentis viuicomburij
 mortibus territos nõ paucos à Christo desciuisse. His ad Christianismum
 reformandis, & mores Christo non indignos, haud paulò plus operæ
 ac laborum Fernando fuit, quàm adducendis ad Christum ethnicis, sed
 immensa quadam operariorum voluptate, hi labores in Christianita-
 tem breui exiere feruentem, castam, misericordem, humilem, Deo
 plenam, totam ab ea quæ fuerat aliam, nec minus factò ad persuaden-
 dum, quam Fernandez verbis eloquentem. Annus abibat nullus,
 quo ex Iaponibus ethnicis qui ad negotia Faifum ventitabant nunc
 viginti quinque modo triginta Christiani in Iaponiam non redirent de-
 liberato quod valdè illic pronum erat ad martyrium animo. Cocinci-
 nensium adulta ætate Iustravit Pinna ducentos septuaginta quinque,
 Palocambi Buzomius Ecclesiam illam quingentis auxit Christianis: ego
 pauca de multis non possum omittere quæ in his conuersionibus singu-
 lare aliquid habuere. Viget eo in regno religiosum pietatis erga fato
 functos delirium, Bonziorum inuento consecratum. Vulgus exiltimat;
 putare docti se simulant, si non putant, ne videantur minus pij; sub-
 terraneis fessas cæcorum itinerum & longis ambagibus functorum
 animas, refouendas esse ad reliquum iter, dum opratam quietem at-
 tigerint, quæ illis è corpore profectis assignatur, egere porro succu-
 lentis cibis, & solidis, eorum odore refici, & apponentium pietate;
 ac ciborum quidem purissimam, & quæ sub sensum non cadit sub-
 stantiam ducere, quod verò intactum omittebant, exsueca potius ci-
 borum esse cadauera quàm cibos, eaque Bonziis ad vescendum permit-
 ti. Huius erga defunctos tam religiosi in Cocincina moris abrogatio
 seuera, cum apud populum magnam videretur offensiosem paritura, ea
 lege Patres cum Christianis integrum reliquerunt, vt ciborum in-
 structus pauperibus publicè distribueretur in piaculum tribuentis, vel
 mortui si foret Christianus. Mortua igitur Christiani socru haud
 procul Caciono, iuuantæ illius animæ quem dixi modus adedò
 affectit oppidanos, vt eos ingens desiderium ceperit sciendi, qualis esset
 lex Christianorum, ac iam inde ex eo coniecerint oportere omninò ve-
 racem

77.
 Cocincina
 Reg. à Bata-
 uis ad se re-
 ducunt Lusi-
 tani.

78.
 Superstitio
 erga defun-
 ctos, in opus
 miseric. mu-
 tat. r.